

DEC. IVNII IVVENALIS

SATYRAE.

SATYRA PRIMA.

ARGUMENTVM.

In bac Satyra causas suas exponit Poëta cur
Satyras scribat, dicitque primo tanta esse, &
tam monstroja vibis Romae scelera, ut diffi-
cile sit Satyram non scribere; deinde nefandas
Romanorum libidines, adulteria, veneficia,
fraudes, luxuriam, sordes, & infinita pene
alia flagitia particulariter flagellat. Verum
cum periculoso esse sentiat in viuos stili sue
aciem stringere, eosque nude, & aperte iu-
gulare, stat demum sententia quid in mortuos
concedatur, periculum facere, atque ita sub
mortuorum nominibus, viuos callide & caute
vellicat.

Semper ego auditor tantum? Nunquamne
reponam,
Vexatus toties rauci Theseïde Codri?
Impune ergo mihi recitauerit ille togatas,
Hic Elegos? impune diem consumpserit ingens
Telephus? aut summi plena iam margine libri
Scriptus & in tergo necdum finitus Orestes?
Nota magis nulli domus est sua, quam mihi lucus
Martis, & Aeoliis vicinum rupibus Antrum
Vulcani. Quid agant venti; quas torqueat vniuersitas
Aeacus; unde alias furtuuae deuehat aurum 10
Pelliculae: quantas iaculetur Monychus ornos;
Frontonis platani, conuulsaque marmora clamant
Semper, & assiduo ruptae lectore columnae.
Expectes eadem a summo, minimoque poëta.

A

Et